

Vd  
3115





*h. 57, 25.*

Vd  
3115

DE  
P A C E. N O S T R A  
P A V C I S S I M A. P R A E F A T V S

---

A D  
O R A T I O N E S  
I N. M E M O R I A M  
F E L I C I T E R  
P A C A T A E. S A X O N I A E

D. XI, CAL, APRIL, A. R. S. cto Idcc LXIII.

H O R A. D E C I M A

H A E E N D A S

O B S E Q V I O S E. I N V I T A T

M. I O A N. G E O R G. H A G E R  
R E C T O R

---

C H E M N I C I I  
L I T T E R I S. I O A N. C H R I S T O P H O R I. S T O E S S E L I I.

*Collegae suoh  
M. Biderma*

DE  
PAGE NORTH  
UNIVERSITY LIBRARY

GRATIS  
EX LIBRIS

PACATAE SAKONIAE



UNIVERSITÄT  
HALLA (SAALE)





A. et Ω.

Huc ades, atque audi placidus, VENERANDE, precantem: (a)

ΑΓΑΘΗ, ΤΥΧΗ! (b)

Vt bona, fausta, fortunata, salutaris atque aeterna sit pax nostra  
iam diu exoptata, et tandem feliciter reuerfa clementissimus iubeat  
Dens, religiosissime rogamus.

---

**G**Loria In eXCeLsIs Deo! paX anXIIs SaXonIae hoMIInbVs  
restaVratVr. (c) Publica et communis haec omnium Saxo-  
niam incolentium vox est. Postquam enim ante sex, et  
):( 2 quod

(a) OVID. Metamorph. VIII, 597. (b) Solennis haec Graecorum formula  
erat. V. BARNAB. BRISSONII de form. populi Rom. L. I. f. 112. p. 62.  
Halaë, 1731. f.

(c) Leguntur haec verba in relat. publ. Dresdens. in supplemento ad N. IX.  
1763. Qua data occasione amici cuiusdam Chemnicensis pia vota addere  
placet: nVLLa saLVs beLLO, optiMa, fide et Pletate. In  
proMota LaVDetVr sanCta triNitAs paCe. CVM paCe terra  
fLoreat In DieVIs nostrIs. ConserVa paCeM gLoria DIVI-  
na! aLLE I. chre gereIChe gott VnD Melnen Könlg zVr

quod excurrit, annos in tota fere Germania ad arma conclamatum erat,

Certatimque omnes vno ore arma, arma locuti; (d)

Statim

Implicuere inter se acies legitque virum vir, (e)

&

- - Confertis iunxere frequentia telis

Agmina, virque virum galeis adflavit adactis. (f)

Quo facto tam funestum belli exardescerebat incendium, ut Bohemiam multo sanguine cruentatam, Silesiam caedibus afflictam, Westphaliam vexatam, Hassiam exhaustam, Franconiam perturbatam et Saxoniam fere totam occupatam, et oppressam videremus tristesque lugeremus. Amplissimae splendidissimaeque in patria nostra vrbes, partim obsidebantur et incendebantur, partim occupabantur. Quisnam quaeso haec tristissima praecipue fata Dresdae, Vittembergae, Zittaviae, aliarumque urbium sine dolore et lacrymis recordari potest? Neque urbibus, neque oppidis, neque vicis, neque pagis, neque agris, neque hortis, neque arboribus, neque sylvis parcetur. Horrea multis in locis euacuabantur et aeraria exhauriebantur. Pecudes abigebantur et iuuenes inuiti ad militiam rapiebantur. Fortissimi duces et multa millia militum misere aut laedebantur, aut trucidabantur. Commercia vel penitus conquiescebant, vel certe admodum turbabantur. Quid mirum? si etiam Musae Martis irati metu valde trepidasse et fere conticuisse dicamus? (g) Propter annonae praeterea caritatem rei que nummariae difficultatem plerisque ad

ehre! Gott VerLelhe DeM oberhaVpte In saChsen eIn  
Langes Leben! Friede sel Mir SaChsen, aLso kan es  
VVaChsen. Gottes aLLMAaCht Ist Vnsere hVILfe In Der  
noth. MensChen! hoFFet aVf Gott, er VerLust die selben  
nICht. IaVChzet gott aLLe Von krieges noth Mit errettete  
LanDe. Bethet ohne VnterLasf, Dasf Ihr keIner Mehr In  
anfeChtVng faLlet. so VVetter aLs fChVVarzer aDLer gehen  
heVer MVthlg Von HVbertVsbVrg zV Ihrer rVhe. Gott  
Lob es Ist rVhe, CheMntz freVe DICht!

(d) OVIDIUS Metamorph. XII, 247.

(e) VIRGILIUS Aen. XI, 632.

(f) VALER. FLACCUS VI, 182.

(g) V. celeberrimi Io. GOTTL. BIDERMANNI Progr. quo bella scholis fatalia esse docuit, Fribergae 1762. 4.

ad summas angustias deductis et ad restim redactis interitus luculentissime imminebat. Quum igitur durissimo hoc acerbissimarum calamitatum cumulo omnis fere consilii expertes essemus, ad clementissimum nostrum, qui solus iuuare potest, Deum supplices confugebamus illumque ardentissimis nostris precibus defatigabamus, ut pro immensa et paterna sua gratia miseris nostris finem aliquando imponere, ab atrocitate et periculo belli nos liberare et animos regum principumque ad pacem inclinare benignissime vellet. En, pro more suo, praeter omnem spem et expectationem, qui propter peccata nostra huc vsque procul a nobis erat, placatus ad nos iterum se conuertit precesque nostras optimus noster deus, verus et vnus liberator et conseruator noster exaudiuit et pacis ineundae desiderium in animis belligerantium excitauit. Ad hunc saluberrimum finem feliciter obtinendum serenissimus potentissimusque FRIDERICVS AVGVSTVS, Rex Poloniarum et Elector Saxoniae, pater patriae nostrae gratiosissimus et potentissimus serenissimusque FRIDERICVS, Rex Borussiae atque Elector Brandenburg, illustrissimos summa prudentia pariter ac sapientia praeditos viros ablegarunt, nimirum L. B. THOMAM de FRITZSCH, regi nostro a consiliis intimis et EWALD. FRIDERICVM de HERZBERG, regi suo a consiliis in negotiis ad legationes spectantibus secretis, in arcem, cui a St. Huberto nomen est, ut de pacis agerent conditionibus. Annuit ex voto eorum consiliis deus. Illuxit tandem gratissimus dies XV. Februarii, quo sub auspiciis diuinis pax firma, amicitia sincera et vicinitas integra inter serenissimos reges Poloniarum et Borussiae, illorumque haeredes, status, regiones et subditos restaurata est. (h) Ex templo fama, diuinae pacis nuntia, per totam volitauit Saxoniam et nobis omnibus inusitatam quandam ac infinitam attulit laetitiam. Quoniam vero egregium hoc donum, exitiumque beneficium deo nostro, omnium bonorum datori, nos omnino debere clementissimus noster

)( 3

(h) Haec sunt verba Art. I. conditionum pacis, quae typis Dresdae expressa extat, sub inscriptione: Traité de paix conclu entre Sa Majesté le Roi de Pologne Electeur de Saxe & Sa Majesté le Roi de Prusse au chateau de Hubertsbourg le 15. Febr. 1763. in 4. vbi ita legimus: Il y aura une paix solide, une amitié sincère, & un bon voisinage entre Sa Maj. le Roi de Pologne, Elect. de Saxe & Sa Maj. le Roi de Prusse & leur Heretiers, Etaats, Pais et Sujets.

noster rex probe putauit, hinc ex decreto illius, (i) feriae solennes sub-  
 mississimaeque supplicationes die XXI. Martii habendae institutae sunt.  
 Ut rite institutas, sic etiam pio et lubentissimo animo cum tripudio eas  
 nunc publice peregrimus, et deo nostro, ut par erat, vno ore gratias,  
 quas mente concipere poteramus, maximas egimus, qui nostras suppli-  
 cantium voces exaudiuit; Iehouae, qui nostrae vires, et clypeus est,  
 cui animo confidimus, a quo adiuti animis nunc exultauimus eunIQUE  
 nostris precibus celebrauimus. Iehoua, qui tuorum potentia es et vi-  
 ctoriarum vncti tui firmamentum, serua nos, tuos, tuaeque haereditati  
 faue, nos regens atque euehens in perpetuum. (k) Agimus tibi, Ie-  
 houa, gratias, qui, quum nobis fuisses iratus, nos, ira ista cohibita,  
 consolatus es. (l) His precibus adiecta esse vota pro incolumitate  
 regis nostri et pro salute publica inter omnes constat. Ne vero schola  
 nostra hunc diu exoptatum et felicissimum diem tacens praeterire suat  
 et beneficiorum immemor videatur, iuuenes quidam bonae spei et in-  
 dolis, pii, diligentes atque modesti idem hoc dei beneficium magnifi-  
 cum laudare et praedicare decreuerunt. His ego nunc fauorem pa-  
 tronorum aucupare laborabo paucissima de *pax nostra* praefatus.

Huc vsque de nostra amissa et iterum recuperanda pace sollicitos nos  
 homines, publice et priuatim frequenter nos orantes et precibus per  
 septem fere annos poscentes pacem eamque non obtinentes deprehendi.  
 Inquirenti mihi in causas res ardua ductu rationis videbatur et pedibus  
 fere eum Dauide (m) defectebam gressu propemodum labefactato.

Ratio

(i) V. Anordnung, wie es bey dem auf den 21. Marz, 1763. als den Montag  
 nach dem Sonntage Indica zu feyernden Friedens-Dankfeste im Churfür-  
 stenthume Sachsen, demselben incorporirten und andern Landen, gehal-  
 ten werden soll. Dresden in 4.

(k) Psalm. XXVIII, 6 - 9. Haec verba ante meridiem pro concione solide,  
 docte et facunde regio iussu exposuit summe venerandus sacrorum nostrorum  
 antistes IOAN. FRID. GÜHLINGIVS; In sacris vero antelucanis vir  
 plurimum reuerendus M. IO. MICH. MEHLIGIVS, Diac, ad Iac, meritissimus  
 eadem explicauerat ratione verba ZACH. VIII, 10, II, 12. (l) Ef. XII, 1.  
 Et hoc oraculum pro concione post meridiem ore diferto, suaui et erudito  
 interpretatus est M. SAM. AVGVST LVNGHANSIVS, ad d. Iacobi Archi-  
 diaconus celeberrimus.

(m) Psalm. LXXIII, 2.



Ratio etiam sana hic titubat: Oracula vero diuina meliora docent. Nostra nos improbitas, iniquitas, peruersitasque, en causam denegatae pacis, plexit atque puniuit, vt cognosceremus et videremus, quam malum atque acerbum sit, quod Iehouam, deum nostrum, reliquimus, neque illius formidine tenebamur. (n) Frustra adeoque exoptauimus pacem et frustra aliis precati sumus pacem, nec vlla speranda nobis erat pax, tamdiu *nostram pacem* negleximus. Quenam vero est illa *pax nostra*? Diuus Apostolus Paullus respondet: (o) is, nempe Christus, est *pax nostra*, qui ex ambobus vnum fecit, septique interstitium abrupit, et inimicitias, legem praeceptorum in placitis positam in sua carne aboleuit, vt in sese ex duobus conderet vnum nouum hominem, faciendo pacem et ambos vno in corpore reconciliaret deo per crucem, peremitis in ea inimicitias. Venit autem pacem nuntiatum et vobis, qui aberatis, et iis, qui aderant. Ea vero ex causa Christus dicitur *ἡ ἀγάπη ἡμῶν, pax nostra*, quia vt pacis auctor veniens in hunc orbem hominibus annuntiauit pacem. (p) Hic est ille promissus auctor et princeps pacis. (q) Haec est illa *pax nostra* Christus, per quem iustificati fide pacem habent cum deo et per quem fide aditum habent ad hoc beneficium. (r) Haec est illa *pax nostra*, quam Angeli praedicabant his verbis: Gloria in excelsis deo et in terra pax. (s) Haec est illa *pax nostra*, quam salus et pax terrestris et caelestis comitatur. Si quis ergo nobilissimam exoptat pacem terrestrem, ante omnia ea, qua decet, ratione expetat pacem cum deo per *nostram pacem* Christum; Hac vero nostra pace spreta nulla erit pax in terris. Exoptant vero omnes, exoptent ergo *nostram pacem*. Exoptabuntque eam quidam nostri alumni, qui vnitis viribus in lingua latina priuatissime sedulo se exercent bona verba et ardentissima pro perennitate nostrae pacis vota dicturi. Ita vero prodibunt:

I. IOAN.

(n) IEREM. II, 19.

(o) EPHES. II, 14. seq.

(p) V. AMELII Erörterung P. II, p. 278. BIBLIOTH. BREMENS. Cl. III, p. 199. 246. Cl. V, p. 137. V. E. LOESCHER Decim. Euang. P. IV, p. 326.

(q) ES. IX, 6.

(r) RÖM. V, 1.

(s) LVC. II, 14.

10 3115 BK  
V D 18  
I. IOAN. FRIDER. WEICARTVS, Chemn.  
vicissitudinem omnium rerum considerabit et benevolas et patulas  
auditorum aures sibi et commilitonibus suis experet, *orat. lat.*

II. FRID. GOTTLOB. PORT, Chemn.  
triticissimum prouerbum: inter arma silent leges, in dubium vo-  
cabir, *orat. lat.*

III. CHRIST. GOTTLOB. BOETTIGER, Chemn.  
calamitates belli depinget *carm. lat.*

III. CHRISTIAN. FRID. IOB, Adorf.  
Bellum geri, vt pax obtineatur, docebit *orat. lat.*

V. SAM. FRID. IHLE, Chemn.  
Amoenitatem pacis canet, *carm. lat.*

VI. CHRISTOPH. FRID. OEHME, Chemn.  
verba Virgilit: Pacem te poseimus omnes, illustrabit *orat. lat.*

VII. IOAN. AVGVST. CLEEMANN, Chemn.  
Pacem restauratam gratulabitur nobis, *carm. lat.*

VIII. IOAN. GOTTLOB CLEEMANN, Chemn.  
Fructus pacis describet auditoribusque gratias peraget *orat. lat.*

VOS quaeso, *Patroni* atque *fautores* summo opere colendi, acce-  
datis et praesentia vestra honorifica musarum cultores ad diligentiam  
excitetis. Pro quo insigni beneficio omne, quod in potestate nostra  
situm est, officiorum genus VOBIS sanctissime pollicemur.

P. P. Chemnicit d. 21. Mart, c1o locc LXIii.




ULB Halle  
007 661 789

3







B.I.G.

Farbkarte #13

*h. 57, 25.*

Vd  
3115

DE  
PACE. NOSTRA  
PAUCISSIMA. PRAEFATVS

AD  
ORATIONES  
IN. MEMORIAM  
FELICITER

PACATAE. SAXONIAE

D. XI, CAL. APRIL. A. R. S. cto 1000 LXIII.

HORA. DECIMA

HABENDAS

OBSEQUIOSE. INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER

RECTOR

CHEMNICII

LITTERIS. IOAN. CHRISTOPHORI. STOESSELII.

*Collegae suo h.  
M. Biderma*